

Ego Hermannus Rodestöck canonicus et cantor ecclesiae Misnensis omnibus et singulis suprascriptis interfui, consensi et consentio ac manu mea propria me hic subscripsi.

Ego Lambertus de Sehusen licentiatus in decretis, archidiaconus Nisicensis et canonicus in ecclesia Misnensi praedictis omnibus et singulis interfui et in praefatum venerabilem magistrum Johannem Hoffeman consensi et consentio ac propria manu huic decreto me subscripsi.

Ego Hermannus de Turgow canonicus ecclesiae Misnensis praemissis omnibus et singulis interfui et in praefatum venerabilem magistrum Johannem Hoffeman praepositum Haynensem consensi et consentio ac manu propria huic decreto me subscripsi.

Ego Burkardus de Balingen canonicus ecclesiae Myssnensis praedictis omnibus et singulis interfui et in dictum venerabilem magistrum Johannem Hofman praepositum Haynensem consensi et consentio ac manu propria huic decreto me subscripsi.

Ego Johannes Bose canonicus ecclesiae Misnensis praedictis omnibus et singulis interfui et in dictum venerabilem magistrum Johannem Hofman praepositum Haynensem consensi et consentio ac manu propria huic decreto me subscripsi.

Et ego Martinus Peczoldi de Osschacz clericus Misnensis diocesis publicus sacra imperiali auctoritate notarius quia dictis electioni, personae electae consensus petitioni et praestationi, electionis ratihabitioni ac publicationi omnibusque aliis et singulis praemissis dum sic ut praemittitur agerentur et fierent una cum testibus suprascriptis et notario subscripto praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideoque de mandato dictorum venerabilium dominorum decani et capituli ad requisitionem eorundem haec propria manu scripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis una cum appensione maioris sigilli capituli praedictae ecclesiae Misnensis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Signum notarii.

Et ego Anthonius Landaw de Osschacz clericus Misnensis diocesis sacra imperiali auctoritate notarius publicus quia praedictis — una cum notario publico meo in hac parte collega et testibus supradictis praesens interfui — propria manu mea hic me subscripsi signo nomine et cognomine meis solitis. —

Signum notarii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem grösseren Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 921. 1427. 10. Sept.

*P. Martin V. befiehlt den Vasallen des Hochstifts dem B. Johann, der von ihm wegen seiner Verdienste, obschon die Wahl bei bestehendem Vorbehalte ungültig gewesen, als Bischof eingesetzt worden, treu und gehorsam zu sein.*

Martinus episcopus servus servorum dei dilectis filiis universis vasallis ecclesiae Misnensis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bonae memoriae Rudolpho episcopo Misnensi regimini ecclesiae Misnensis praesidente nos cupientes eidem ecclesiae, cum illam vacare contingeret, per apostolicae sedis providentiam utilem et idoneam praesidere personam, provisionem